Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

h sed alios pastores et magistros.

nes. gubernationes. genera linguarum. Quod sabellius non intellegens patrem confundit et filium. dum eandem operationem esse non putat diversorum. Et simul notandum quod hic apostolos prophetas evangelistas. pastores et magistros dedisse Christus. ibi vero eosdem patrem posuisse memoretur. Posuit itaque sive dedit pater et filius. primo apostolos. secundo prophetas. non illos qui futura vaticinentur quales in veteri legimus testamento. sed qui infideles et inperitos arguant atque diiudicent. Tales quippe prophetas novi testamenti in alia epistola esse definit. tertio evangelistas. quorum speciosi pedes sint ad adnunciandam pacem. Nec vero putandum quod sicut in superioribus tribus alios dixisse apostolos. alios prophetas. alios evangelistas. ita et in pastoribus et magistris officia diversa posuerit. Non enim ait. alios autem pastores. et alios magistros. ut qui pastor est esse debeat et magister: nec in ecclesiis quamvis sanctus sit pastoris sibi nomen adsumere nisi posset docere quos pascit. Et certe alterum ut unus atque idem presens ecclesie sit pastor et doctor: pastor ovium magister hominum. Homines quippe et iumenta salvos facies domine. Arbitror hodieque in ecclesiis quemadmodum propheta et evangelista pastorque inveniatur et doctor: ita posse et apostolum repperiri. in quo et apostolatus signa et indicia conpleantur. et e regione esse plurimos tam foris quam intus tam in ecclesia quam in heresibus. qui pseudo apostoli sint. et pseudo prophete. et pseudo evangeliste. et pseudo pastores. et pseudo magistri. et de heresibus quidem nulla dubitatio est. quin secundum falsam fidem. falsa universa possideant. In ecclesiis autem nonne vobis videntur falsi esse pastores qui non pascunt oves cum disciplina sed quasi mercennarii. nequaquam gregis salutem cogitant. quod erravit non convertentes. et quod periit non querentes. sed tantummodo de ovibus lac et lanam cibos videlicet et vestimenta captantes. Neque vero absque ordine in hec putemus apostolum subito prorupisse. Verum quia premiserat esse deum super omnia et per omnia et in omnibus. et unicuique sanctorum datam gratiam secundum mensuram donationis Christi. nunc addit alios apostolos. alios prophetas. alios evangelistas. alios pastores. et magistros esse in ecclesia distributos qui necessarii sint ad perfectionem instructionemque sanctorum in opus ministerii in edificationem corporis Christi. quia cum